



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Certum est heic non agi de Episcopo Arelatensi, sed de Helensi apud Ruscinones; qui tum erat Artaldus, ut patet ex veteribus monumentis illorum temporum. Artaldo successit Ermengaudus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

vel Ecclesie tuae prejudicium generetur. Datum Laterani v. l. Nonas Maij, anno x. l.

CAPVT XLI.

Synopsis.

I. Adversus ea que supra dicta sunt nonnulli quaedam argumenta opponunt ut probent Arelatenses Episcopos nunquam fuisse usos auctoritate Vicarij apostolice sedis. Aperiunt ratio concilianda istius contradictionis.

II. Inve tamen adeo antiqua nihil afferri certi potest, nisi quod certum est extraordinariam illam Arelatensium Episcoporum auctoritatem viguisse a temporibus Zozimi usque ad sanctum Gregorium.

III. Ex capite Artaldus quidam colligunt Archiepiscopum Arelatensem fuisse subiectum Archiepiscopo Narbonensi. Videntur Correctores Romani mendam heic esse, istudque caput pronuntiarunt intelligendum esse de Episcopo Electensi in prima Narbonensi. Quos recte in hoc reprehendit Bosquetus.

IV. Certum est heic non agi de Episcopo Arelatensi, sed de Helenensi apud Ruscinones; quoniam erat Artaldus, ut patet ex veteribus monumentis illorum temporum. Artaldo successit Ermengaudus.

V. Caput illud non posse intelligi de Episcopo Electensi hinc probatur quod avo Urbani II. nondum Episcopus institutus erat in monasterio Electensi.

I. **A**DVERSUS ea que huc usque dicta sunt de eximia illa Archiepiscoporum Arelatensium auctoritate quidam opponunt subscriptiones quorundam Conciliorum, & alia quedam veteris ævi monumenta, ex quibus colligi videtur aut vicariam illam dignitatem rem vanam ac futilem fuisse, aut certe eos illa nunquam usos fuisse. Sed si quis diligenter & accuratè expendere velit fidem rerum à nobis proditarum, inveniet profectò Arelatenses Episcopos verè usos esse ea auctoritate quam illis concesserant Summi Pontifices cum bona Principum venia. Perturbatus esse potest in veteris codicibus, ut sæpe accidit, ordo subscriptionum, uti jam adnotatum est à viris doctissimis. Præterea ea tum fortassis erat publica Gallicanæ Ecclesiæ disciplina, ut tamenetsi Vicariorum apostolicæ sedis prerogativam agnoscerent, loco tamen non cederent, nisi quatenus ordinatione antiquiores erant.

II. In re tamen adeo antiqua & obscura nihil certi afferre possumus, nisi quod, uti diximus, certum est extraordinariam illam Arelatensium Episcoporum auctoritatem viguisse à temporibus Zozimi usque ad Gregorium Magnum; quamvis verum sit eam variis interim procellis jaectatam fuisse, prout Romanis Pontificibus displicebat istorum Vicariorum audentia. Qua de re fusè disseruimus supra, ubi occasio tulit.

III. Ceterum antè quàm finem ultimum

Tom. II.

imponam huic causæ, res postulare videtur ut qui Arelatenses Episcopos ostendimus prælatos fuisse universis Episcopis Gallicanis, in primis verò Narbonensi, eum subtrahamus jurisdictioni Archiepiscopi Narbonensis, cui subiectum illum fuisse nonnulli colligunt ex capite Artaldus apud Gratianum, ubi sic legitur ex Gestis Urbani secundi: *Artaldus Arelatensis Episcopus, Narbonensis Ecclesiæ suffraganeus, Romam consecrandus ad Dominum Papam Urbanum venit. Suus quippe Archiepiscopus cum consecrare volebat &c.* Viderunt Correctores Romani mendam heic esse, pronuntiaruntque heic agi de Episcopo Electensi, qui verè est suffraganeus Archiepiscopi Narbonensis. Sed illos ob hanc emendationem reprehendit vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelienfis: qui retinendam esse putat vulgatam lectionem, ut capitis istius auctoritate probet Arelatensem Episcopum fuisse olim subiectum Archiepiscopo Narbonensi.

IV. Contrà certum est heic non agi de Episcopo Arelatensi, sed de Helenensi, sive Elenensi, ut tum scribebant, in finibus Gallicæ Narbonensis. Hanc emendationem, quæ alioqui manifesta est, aperit verustissima canonum collectio MS. quæ extat in Bibliotheca regia, ubi legitur: *Artaldus Alanensis Episcopus &c.* Præterea Artaldus sedebat in cathedra Helenensi anno M X C. XVIII. Kal. Octobris, ut constat ex Chartulario illius Ecclesiæ; & Concilio Nemausensi interfuit anno M X C. VI. mense Julio, ut legitur in veteri charta MS. monasterij Rivipullensis in diœcesi Aufonensi. Helenensis porò Ecclesiæ tum suffraganea erat Ecclesiæ Narbonensis citra omnem controversiam. Oportuit autem Artaldum fuisse defunctum ante annum millesimum centesimum primum. Etenim Nonis Maij illius anni Ermengaudus Helenensi cathedræ præsidebat.

V. De Electensi porò sive Alectensi Episcopo, tamenetsi sit sempèrque fuerit suffraganeus Ecclesiæ Narbonensis, istud caput intelligi non posse hinc probatur quod avo Urbani II. Alectensis Episcopus nullus erat in provincia Narbonensi, qui beneficio demum Ioannis XXII. institutus est in monasterio Alectensi.

CAPVT XLII.

Synopsis.

I. Vicariatus Augustino Cantuariensi Archiepiscopo concessus fuit ut privilegium personale. Cantuarienses porò Archiepiscopi non nisi diè post ista tempora facti fuerunt Vicarij apostolice sedis.

Q

Franc. abis pag. 11.

Apud hanc pag. 11.

nonc. 177. in leg. 1. 11.